

FLORA.



N^o. 7.

Regensburg.

21. Februar.

1851.

Inhalt: ORIG NAL-ABHANDLUNG. Massalongo, Animadversio in Lecideam Bolcanam Cyrii Pollinii. — LITERATUR. Berg, Handbuch der pharmaceutischen Botanik. Rabenhorst, die Algen Sachsens, respective Mittel-Europa's. — GELEHRTE ANSTALTEN UND VEREINE. Instruction für den Director des Reichs-Herbariums in Leyden.

Animadversio in Lecideam Bolcanam Cyrii Pollinii; auctore A. D. Massalongo.

Lecideam Bolcanam, quo anno Pollinius detexerit, haud com-
pertum est: id unum scio eam primum editam anno 1816 in opusculo,
eui titulus *Horti et Provinciae Veronensis plantae novae vel minus
cognitae etc.* pag. 29., iterumque descriptam in volumine 3º. *Florae
Veronensis* pag. 411.

Curtius Sprengel hac de specie disseruit in magno opere
Systema Vegetabilium (vol. 4. pag. 255.) et post eum nemo quod
sciam de hoc vegetali verbum fecit, perinde ac non existeret. Hoc
tantum anno in novissimo opere Cl. Schäreri, *Enumeratio critica
Lichenum Europaeorum* (Bernæ 1850), mentio occurrit *Lecidea Bol-
canae* Pollinii, eaque vel typographi mendo, vel errore ejus qui
scripsit schedam, appellatur *Lecidea Bokeana*.

Vidit Clariss. Schärer hanc speciem, quam sit crescere in
monte Bokia Tirolis meridionalis, in herbario Clariss. Boissieri,
ad quem missa erat a Prof. De Notaris, ex herbario ipsius Pol-
linii deductam, eamque dijudicavit formam quamdam *Lecanorae mu-
ratis* β . *diffractae* (Lichen diffractus Ach. Prodr. pag. 63). Cum au-
tem Pollinius hanc novam speciem condidisset ex exemplaribus
nondum perfectis ac sterilibus, ideoque loco organorum fructificatio-
nis videret ea, quæ fructificationis dumtaxat rudimenta erant (*pulvi-
nuli*), factum est, ut omnes, qui de hac specie locuti sunt ex exem-
plaribus ab auctore missis, eundem errorem confirmarent, veraque
hujus singularis vegetabilis natura et forma nunquam dignosceretur.

Deprehendit acutiss. Schärer causam erroris communis, eaque
organæ denotavit, non ut organa fructificationis, sed tamquam pri-

mordialem ipsorum statum, neque a veritate aberravit, cum hunc lichenem retulit ad formam quamdam *Lecanorae muralis*: quamquam omnino certum non videatur, debeat nec ne ad ejus var. $\beta.$ *diffracta* referri; et eo magis quod in eam sententiam visus est propendere, ut ad hanc varietatem referenda item esset *Parmelia?* *Bokii Friesii* (Syst. Orb. Veg. pag. 285. Lich. Eur. ref. pag. 150); ad quam sententiam eum forte adduxit consonantia vocabuli *Bokia* pro *Bolca*, quem locum natalem speciei judicarat.

Obiter enim animadverto, me jam ab anno 1848, cum *Lichenum Veronensem* studio intentus, speciem *Pollinianam* accurate examine prosequerer et nativo loco studerem, multis habitis comparationibus in exemplaribus authenticis, quæ in herbario demortui botanici adhuc servantur, in suspicionem venisse de imperfectione speciei *Bolcensis* qua ratione descripserat *Pollinius*, cum vera fructificationis organa distincta perfectaque viderim. Quod testantur literae quas pluries ab eo usque anno dedi III. *Equiti Berengerio*, et ante editum *Schäreri* opus, Prof. G. Notarisio et S. Garovaglio, quibus etiam exemplaria fructibus ornata communicavi, prædictis animadversionibus in schedis adjectis.

Lecanorae muralis $\beta.$ *diffractae* *Schäreri* (*Lecanora diffracta Ach. Lich. Univ.* pag. 431) character, ut idem *Schärer* tradit (*Spicilegium* pag. 418 — *Enumer. crit.* pag. 66) is est, ut apothecia *atro-fimbriata*, et thallum *glaucō virescentem* habeat, ut ait etiam *Rabenhorstius* in suo opere *Die Lichenen Deutschlands* pag. 42. (*Schwarz gefranste Apothecien.*) *Friesius* in *Lichenographia Europaea reformata* pag. 111. de hac varietate loquens, ne verbum quidem unum facit de eo charactere, quod apothecia *atro-fimbriata* sint, eaque tantummodo dicit *sub-rufa*, repetens quæ *Acharius* dixerat in omnibus fere suis operibus (Prodr. et Lich. loc. cit — Meth. pag. 42) *apotheciorum disco rufo-fusco*.

Is porro character in *Lecidea Bolcana* desideratur, cuius apothecia tum juvenili tum adultaestate sunt colore *flavo-fusco* et *citrino-marginata*: quare aut *Lecanora muralis* $\beta.$ *diffracta* *Schäreri* et *Rabenhorstii* alia est ac *Lichen diffractus Acharii*, aut *Lecidea Bolcana* alia varietas. Præterea apothecia *Lecanorae diffractae* interdum tota altra sunt (*Schärer. Rabenh. Ach. Lich. loc. cit. obs.*) quod in *Lecidea Bolcana Pollinii* accidit numquam, in qua eodem semper colore *flavo-fusco* remanent.

Quum autem Clariss. *Schärer* affirmet *Lichenem diffractum Ach.* idem esse cum sua *Lecanora muralis* $\beta.$ *diffracta*, *Lecidea*

Bolcana aliqua ex parte differre videtur, cum prænotati in ea characteres desint. Fateri tamen oportet, descriptionem ab Achari o exhibitam suae *Lecanorae diffractae* cum specie *Polliniana* omnino convenire, præsertim ubi loquitur de areolis thalli, quas docet esse *angulosas*, aliquando *marginibus elevatis et nigris*, et de vegetatione apotheciorum, *quae rarissime occurrunt, disco plato rufo, margine thallode elevato tumido integro*, characteres qui omnes in *Lecidea Bolcana* reperiuntur.

Quod autem spectat ad *Parmeliam? Bokii Friesii*, de qua Clariss. Schærer visus est anceps hæsisse, debeat nec ne ad hanc eandem *Lecanorae muralis* varietatem referri, in id inductus, ut dictum est ob similitudinem vocabuli *Bokia* cum *Bolea*, nullum remanet dubium de ejus differentia a speciebus supradictis: et satis erit legere quæ idem Friesius docet, ut in hanc sententiam pertraharis; quibus adde, in *Parmelia? Bokii* apothecia madida eundem semper colorem servare, in *Lecanora diffracta* vero *epithalli* colorem induere, qua de causa arbitror, Rabenhorstium huic licheni jure meritoque speciei honorem non ademisse.

Dictis igitur in unum collectis, species, de quibus disputatur, hisce characteribus pollutant.

Lecanora muralis var. *Bolcana*
Mssng.

Syn. *Lecidea Bolcana* Pollin.
Hort. et Prov. Veronens. pl. nov.
vel minus cognit. pag. 29. — Flor.
Verouens. vol. 3. pag. 411. tab.
II. Fig. 3. — *Lecidea Bolcana*
Pollin. (non Poll.) Sprng. Sy-
stem. veg. pag. 259. vol. 4.

*Thallo orbiculari stramineo, virid-
ochroleuco, ambitu effigurato-lo-
bato, centro areolato-squamuloso:
squamulis anguloso-sublobatis, ni-
gro-marginatis subtus atris, punc-
tis plerumque nigricantibus (apoth.
Pollin.) notatis. Apotheciis raris
subaurantiacis dilutius marginatis,
tandem testaceo-rufis (num-
quam atris), flexuosis amplis con-
crexiusculis, margine thallode lu-
tuolo crenulato persistente.*

Lecanora muralis $\beta.$ *diffracta*
Schær.

Syn. *Lecanora diffracta* Ach.
Lich. univ. pag. 432. — Synops.
pag. 180. — Lichen. Ach. Prod.
pag. 63. — *Lecidea cechmena*
 $\beta.$ *diffracta* Ach. Meth. pag. 42.
— *Parmelia saxicola* $\beta.$ *diffracta*
Fr. Lich. Eur. pag. 111. — *Leca-
noramuralis* $\beta.$ *diffracta* Schär.
Eum. pag. 68. — *Lecan. muralis* $\gamma.$ *diffracta* Schär. spic. p.
418. — *Lecanora saxicola* (*mura-
lis*) ϵ *diffracta* Rabenhorst
Deutschl. Lich. pag. 42.

*Thallo orbiculari glauco-virescen-
te, ambitu effigurato-lobato, centro
areolato - squamuloso: squamulis
angulosis nigro marginatis. Apo-
theciis rufo-fuscis (Ach. Fr.) atro-
fimbriatis, tandem nigris. (Schär.
Rabenb.)*

Tamenetsi in id incubuerim, ut internam duarum harum varietatum structuram inspicerem, exhibitis magna virtute instrumentis (1275 diam.) nullum tamem sporidiorum indicium occurrit, idque tantum deprehendi, in *Lecanora diffracta* paraphyses esse multo laxiores, quam in *Lecidea Bolcana*, in qua ad fastigium sunt etiam longe tumidiores.

Viget communissime in Basaltis m. *Bolca* praesertim ad septentrionem, quod humida loca diligit et umbrosa, et montis Belocca oppidi Tremniaci (Tregnago) ad orientem, ibique maculas efficit praegrandes, interdum ipsius pedis, crusta duarum et aliquando quatuor linearum crassitudinis, ea de causa quod plantae plantis superimponuntur: quo charactere *Parmeliae stramineae* Wahlenbergii propinquam dixeris, nisi enormi magnitudine ab ea differret.

L i t e r a t u r.

Handbuch der pharmaceutischen Botanik, von Dr. Otto Berg, Privatdocenten an der Universität zu Berlin und Apotheker. Zweite nach einem erweiterten Plane vollständig umgearbeitete Auflage. Erster Band. Botanik. Berlin, 1848. Verlag von L. Nitze. Auch unter dem Titel: Botanik von Dr. Otto Berg etc. Zweite neu bearbeitete Auflage der pharmaceutischen Botanik. 8. S. VI. und 457.

Die 1844 erschienene erste Auflage dieses Werkes führte blos den Titel: Handbuch der pharmaceutischen Botanik. In der Vorrede dazu giebt der Verf. als den Zweck seines Buches an: eine kurze Beschreibung nicht nur aller Arzneipflanzen und deren Verwechslungen, sondern auch derer, die ein allgemeineres Interesse haben. Er fügt hinzu, wie es ihm nothwendig erschien, „eine kurze gedrängte Darstellung der botanischen Terminologie“ zu geben und er geglaubt habe, „diese durch Verbindung mit Pflanzen-Anatomie und Physiologie entsprechender zu machen.“ Das jetzt vorliegende Werk dürfte, da es denselben Haupttitel führt, dieselben Zwecke verfolgen. Was den Verf. zur Hinzufügung des Separatitels bewogen hat, sagt er nicht und giebt nur an, dass ein zweiter Theil die Pharmakognosie behandeln werde. Wenn der Verf.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1851

Band/Volume: [34](#)

Autor(en)/Author(s): Massalongo Abraham Bartholomäus

Artikel/Article: [Animadversio in Lecideam Bolcanam Cyrii Pollinii 97-100](#)